



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XI. De Cognatione Spirituali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

rem de familia & honore patris à DD. passim: A Befoldo autem *Oeconomia Lib. 1. Tit. 5. & 6 ff. n. 8.* & Harprecht *pr. Instit. de Ingenuis, n. 11.* intelligitur de liberis procreatis ex nuptiis iustis, non secundum sacros Canones, secundum quos inter liberum & ancillam & vicissim veræ nuptiæ intercedere possunt, *can. Si quis liber 2. can. Si femina 5. & c. 29. q. 2. c. Proposuit 2. & c. fin. de Conjug. servor.* sed secundum leges Civiles, hoc est, de iis initis inter duos liberæ conditionis; quia secundum eas inter servos & cum servo justum matrimonium non constat, *pr. ibi Cives Romani, Instit. de Nuptiis, l. Cum ancillis 3. C. de Incest. nupt. & l. Si servi 23. junctâ Glossâ C. ad L. Jul. de Adult. Gonzalez in c. fin. de Conjug. Servor. n. 4.*

5. Secunda; quia *c. Licet cit.* miles pro ingenuo habitus est propter specialem consuetudinem loci, ingenuam aut servilem prolis conditionem non à matre, sed à patre defumentis, contra Jus commune: cui per illam, si Naturali & Divino Juri non repugnet, & aliunde irrationabilis non sit, derogari posse, liquet ex *c. fin. de Consuetud. & c. Licet cit.* derogatum Interpp. passim agnoscunt.

6. Tertia; quia, ut rem hanc pulchrè declarat Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 24. n. 4.* licet à patre nobili ex ancilla procreata proles, hoc ipso; quòd servilis sit, du-

rante statu servili nobilitatem impediente, nobilis dici non possit: per manumissionem tamen, sicut consequitur libertatem, sic etiam gaudeat nobilitate, sanguini inharerente; & Juris impedimentò sive servitutis velamine remotò, detectâ, & quodammodo revivifcente: sicut à patre nobili ex matre plebeia & soluta suscepta proles, licet, nataliù defectu durante, pro nobili non habeatur, Tiraquellus *de Nobilit. cap. 15. n. 10. arg. l. Humilem 7. C. de Incest. nupt.* illò tamen per matrimonium inter parentes postea initum sublatò, simul legitima, atque nobilis evadit, ut *arg. c. Tanta 6. Qui fil. legit.* idem docet *n. 20. & 23.*

Postremæ duæ partim; quia juxta Regulæ declaratæ partem priorem proles patrem, tanquam principium nobilior sequitur quoad familiam & honorem: partim verò; quòd libertatis favori prævalerint rationes pro ejusdem Regulæ altera parte allatæ. Accedit; quòd etiam secundum hanc favor proli præstetur; cum, si matrem, istius libertas ei tribus scilicet conceptionis, nativitatis, & inter utramque medio: si verò patrem sequatur, hujus libertas illi unò duntaxat conceptionis tempore, quò ab ipso esse accipit, prodelle possit, ut Salycetus *in l. Partum cit. in fine Mynsing. in §. Instit. de Ingenuis & Gonzalez in c. fin. de Servis non ord. n. 13.* observant.

## TITVLVS XI. De Cognatione Spirituali.



Ognatio, Nuptialium obstaculorum præcipuum, triplex est, Naturalis, Legalis & Spiritualis: quarum ista, originis antiquitate qui-

dem postrema, dignitate tamen, & propter hanc etiam tractationis ordine prima, hodie ex solo Baptismo & Confirmatione: olim etiã ex Catechismo oriebatur.

ARTICUL.

## ARTICULUS I.

## De Spirituali Cognatione orta ex Baptismo &amp; Confirmatione.

## SUMMARIUM.

1. Hac oritur ex Baptismo,
2. Et Confirmatione,
3. Non etiam ex aliis Sacramentis.
4. Conjugium dirimit Jure Ecclesiastico,
5. Olim inter tria:
6. Hodie inter duo genera personarum.
7. In Baptismo unus vel duo:
8. In Confirmatione unus tantum Paternus est,
9. Qui contrahat spirituales cognationem.
10. Paternus est parens spiritualis baptizati.
11. Ad ejus munus fideles rationis competes,
12. Non tamen omnes admittuntur.
13. Cognationem spirituales ad id admitti omnes,
14. Solique fideles,
15. Etiam Heretici contrahunt:
16. Nisi Baptismus invalidè collatus,
17. Aut sacrilegè iteratus sit.
18. Ejus cognationis impedimentum contrahit privatim & in necessitate baptizans:
19. Nisi baptizati ex conjugate suscepti sit parens.
20. Idem contrahit privatim baptizatum non merè materialiter,
21. Sed formaliter levans.
22. A conjugate suam, prolem malitiosè baptizante aut levante, debitum exigendi jus amitti,
23. Jure & ratione suffulta Opinio,
24. Vera est, spectato Jure veteri:

25. Cui tamen recentiori Jure ita derogatum est;
26. Ut conjugii usus ejusmodi conjugii permittatur:
27. Licet contrahatur cognatio verè spiritualis;
28. Qua secundum aliquos contrahitur à Procuratore:
29. Secundum alios & verius à solo Principali,
30. Infantem per illum ex Baptismo levante:
31. Non etiam à Parocho baptizandi munus alteri committente.

**C**ognatio hæc est Propinquitatis personarum, ex Ecclesiæ dispositione proveniens ex Baptismi & Confirmationis collatione vel susceptione, Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 54. n. 1.* & Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 8. pr.* Unde Patet primò, & à Bonifacio VIII. c. & §. *fin. in 6.* decisum est, ex reliquis Sacramentis cognationem, conjugia dirimentem aut etiam impediendam, non oriri: cujus ratio secundum S. Thomam 3. p. in *addit. q. 56. art. 2.* ea est; quòd, licet Gratiam sanctificantem, esse spirituale animæ tribuentem, Sacramenta omnia causent, id tamen per modum generationis faciant solus Baptismus & Confirmatio; generationem enim sive nativitatem hominis S. Doctor duplicem considerat: unam *In utero*, quæ in fœtus conceptione & animatione: alteram *Ex utero*, quæ in ejus in lucem editione consistit. Priori respondet Baptismus, quòd vita spiritualis inchoatur. Posteriori Confirmatio, quæ per Baptismum vivificatus homo in lucem, sive in conspectum & aciem editur. Cæteris autem Sacramentis Gratia homini per alimantationis, sanationis sive reconciliationis

C c 3

tionis aliisque similes modos confertur: & propterea susceptores sive patrini, ab ipso quidem Ecclesie nascentis primordio, sed in Baptismi duntaxat & Confirmationis collatione, adhiberi consueverunt. Qui, cum in spirituali generatione per hæc Sacramenta facta, vicem patrum gerent, susceptoresque pro filiis haberent, & ferè non minori charitate, quam liberos suos carnales prosequerentur, *can. Ita diligere 30. q. 3.* meritò constitutù & observatù est vinculum cognationis spiritualis, dirimens matrimonium inter eos contrahendum.

3. Adversari quidem huic doctrinæ videntur textus *can. Omnes 8. Co. 30. q. 1.* quibus pœnitentes à Symmacho & Coelestino summis Pontificibus Episcoporum & Presbyterorum, illos à peccatis absolvendum, filii aut filiae spirituales effici dicuntur non minùs, quam sunt eorum, à quibus baptizantur aut suscipiuntur in Baptismo. Sed revera non adversantur; quia cognatio spiritualis à Pontificibus illis agnita, licet similitudinem quandam habeat cum ea, quæ oritur ex Baptismo & Confirmatione; eamque ob causam sacerdotes Patres pœnitentium & hi illorum Filii appellentur: nihilominus; quia gratia in Pœnitentia non per generationis; sed per reconciliationis modum confertur, minùs propriè dicta cognatio est, quæ ex hoc Sacramento, quam ea, quæ oritur ex Baptismo & Confirmatione: neque, sicut ex his orta, matrimonii inter aliquos dirimendi impediendique vim ab Ecclesia accepit, *c. & S. fin. cit.* Et quamvis in eum, qui cum filia Confessionis peccat, & istius complicem etiam, gravissimæ pœnæ decretæ sint, *can. Si quis sacerdos 9. & can. fin. q. cit.* eorumque peccatum adulterium & incestus aliquando vocaretur, incestus tamen aut adulterium reipsa non

fuit: sed ita appellatum est; quòd propter irreverentiam, quæ Sacramento Pœnitentiæ, etiam quando hoc tanquam medium ad illud non adhibetur, inferri videtur, carnali delictò cum alia commissò gravius & incestui simile sit: propter quam causam id in Confessione necessariò detegendum, cum S. Thoma *in 4. dist. 42. q. 1. art. 2.* Turrecremata *in Summa 30. q. 1. art. 2. n. 4.* & cum aliis docet *cit. Sanchez disp. 55. n. 3.*

Patet secundo, impedimentum hoc non Naturali aut Divinò, sed Ecclesiastico Jure introductum; cum neque cognatio, ex qua impedimentum hoc: neque Sacramenta, ex quibus cognatio oritur, fundamentum habeant in Natura: neque ex sacris literis aut aliqua Ecclesie traditione vel Synodali aut Apostolica definitione constet, à Christo, sicut cætera Sacramenta, sic etiam Baptisum & Confirmationem instituentem, illorum alicujus administrationi susceptionique annexam hujusmodi cognationem, matrimonium inter aliquos contrahendum dirimentem, aut etiam impediendam. Confirmatur; quia, si priorum Jurium altero introducta fuisset cognatio spiritualis, ab Ecclesia restringi aut ex parte tolli non potuisset, *arg. can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cum inferior 16. de Majorit. & Obed.* quod tamen pro temporum locorumque varietate factum, constat ex *c. 1. hæc Rubr. & Trident. Sess. 24. cap. 2. de Reformat. Matrim. & mox subsciend.*

Jure enim antiquò cognatio ista ad plures personas, quam novissimò, extendebatur; quia illò sive Decretalium Jure ejus fuerunt tres species: quarum prima dicebatur Paternitas, quæ inter baptizantem vel confirmantem & suscipientes, atque etiam eorum, si quas habebant, uxores ex una, & baptizatum vel confirma-

confirmatum ex altera parte, inducebatur, *can. Ex eo, 30. q. 4. can. Ita diligere cit. & c. 1. hâc Rubr. in 6.* Altera vocabatur Compaternitas, & inter baptizantem vel confirmantem, inter Patrimum & istorum etiam uxores ante cognitae ex una, & baptizati vel confirmati parentes naturales ex altera parte, oriebatur, *can. Pervenit, q. cit. can. Si quis, 30. q. 4. c. Martinus 4. & c. Veniens 6. hâc Rubr.* Tertia erat Fraternalitas, & contrahebatur inter filios carnales baptizantis vel confirmantis aut patrini ex una: & baptizatum vel confirmatum, tanquam filium eorum spiritualem ex altera parte, *can. Pitacium 2. can. Non oportet, 30. q. 3. c. Tua nos 7. hic & c. Necdum cit. ibi, Inter baptizatum & suscipientis filios.* Ratio autem hujusmodi personas ad matrimonium inter se contrahendum inhabiles reddendi fuit reverentia, quæ baptizantibus, confirmantibus & patrinis à filiis spiritualibus maxima debebatur: & semper, præsertim in primitiva Ecclesia, consueverat exhiberi: & ex ejusmodi cognatione inter hujusmodi & carnales illorum filios orta animorum conjunctio & familiaritas: propter quas potissimum causas conjugia cognatione Naturali dirimuntur.

6. Novissimò autem Jure S. Synodi Tridentinæ, ad tollenda animarum pericula, scandala, aliæque incommoda, quæ ex hujusmodi cognationis ita latè extensæ ignorantia in Ecclesia orta sunt, ea aut saltem matrimonii dirimendi vis, quam antiquo Jure habuit, tribus modis restricta est *Sess. & cap. 2. cit.*

Et primò quidem; ut matrimonium ratione Baptismi in posterum non dirimatur, nisi inter baptizantem & baptizatum, inter patrimum ex sacro fonte levantem & baptizatum, tanquam inter parentes & filios vel filias spiritua-

les, inter quos orta cognatio Paternitas vocatur: & inter baptizantem vel patrimum ex una, & baptizati patrem ac matrem ex altera parte, tanquam inter Compatres, illos spirituales, hos vero carnales: quæ inter eos cognatio Compaternitas hodiè que appellatur. Eòdem prorsus modò ex Confirmatione orta spiritualis cognatio conjugium non dirimit, nisi inter confirmantem vel patrimum ex una & confirmatum istiusque patrem & matrem ex altera parte.

7. Secundò; ut in posterum in Baptismo patrimum unus tantum, vel ad summum unus & una, à parentibus electi, adhibeantur: eorumque, de contracto spiritualis cognationis impedimento admonitorum, nomina in libro describantur. In Confirmatione vero unus vel una tantum adhiberi potest, juxta *c. fin. pr. in 6.* esto enim à Tridentino *cap. cit.* unus & una simul adhiberi permittantur in Baptismo, aliter tamen res se habet in Confirmatione, circa quam *c. fin. cit.* dispositionem corrigendi intentio non est expressa: neque eam fuisse credibile est; cum illius S. Synodi PP. de restringenda potius quam extendenda Spirituali cognatione laborarint.

8. Neque refert; quòd §. *Ea quoque cit.* ad Confirmationem extendatur decretum de Baptismo; quia §. *Illo* de patrimum numero non agitur, sed de personis duntaxat spiritualis cognationis impedimentum contrahentibus, decreta extenduntur ad Confirmationem. Ita Suarez in 3. p. 9. 72. art. 10. Bonacina de Matr. q. 3. p. 5. §. 2. n. 31. & Barbosa de Offic. Episc. Alleg. 30. n. 43. contra cit. Sanchez disp. 57. n. 9.

9. Tertiò; ut casu, quò præter unum tantum, vel unam designatos alii baptizatum tetigerint, spiritualis cognatio ab his nullò modò contrahatur. Hactenus an-

nus antiqui & novissimi Juris Decreta.  
Ex quibus

10. Porro patrini, qui præter baptizantem ex antiquissimo Ecclesiæ usu intervenire in Baptismo solenni debent, & in non solenni seu privato possunt, dicuntur spirituales Patres seu Nutritii eorum, quos in baptismo tenent, ex eoque levant, & in his, quæ ad fidem & vitam Christianam pertinent, instruendi in se suscipiunt obligationem. Unde etiam Susceptores, *can. Vos ante omnia* 105. *dist. 4. de Consec. Fidejutores* à S. Dionysio Arcopag. *Lib. 2. de Eccles. Hierarch. Sponsores* à Tertull. *Lib. de Baptismo cap. 3. & 18. Fidei Doctores* à S. Augustino *Epistol. 23. ad Bonifac. & Pædagogi spirituales nuncupantur* à S. Thoma 3. *p. 2. q. 67. art. 7.* & spirituales suos ex Baptismo filios in doctrina & vita Christiana instituere tenentur, *can. Vos ante cit. & Concil. Mogunt. cap. 43.* ubi relati Leonis III. præceptum est, *ut unusquisque compater spirituales filios suos Catholicos instituat* saltem, si id non præstent parentes eorum carnales, & Ludimagistri, Carechistæ & similes alii omnino deficiant, S. Thomas *q. cit. art. 8.* Suarez & Coninck *q. cit. art. 8.* Laiman *Lib. 5. tract. 2. cap. 9. n. 1.*

11. Patrinus autem imprimis esse debet baptizatus; cum ad instruendum in fide idoneus non sit, qui fidem in Baptismo ipse non suscepit, *can. In Baptismate* 102. *dist. 4. cit.* ubi non confirmatus etiam non admittitur in Confirmatione. deinde compos rationis; quod istius usu carens nec fidejuber pro baptizato valeat, nec obire munus instructoris, *Panormit. in c. Debitum 4. de Baptismo n. 3.* Navarrus *Consil. 1. & 3. hæc Rubr. cit.* Laiman *n. 2.* & demum baptizatum per se aut alium iuc nomine id facientem tangere animò patrini munus obeundi & ob-

ligationē contrahendi, *cit. Sanchez disp. 56. n. 1. & 5. Laiman. n. 2. & Pirhing ad hanc Rubric. n. 37.*

Quantumvis autem patrini munere fungi compos rationis Christianus generaliter, nullòque ætatis aut sexus discrimine valeat, *can. Vos ante cit. c. 1. hæc Rubr. in 6. & Trident. cap. 2. cit.* id tamen licitè non obeunt hæretici, poenitentes publici & moribus infames, *cit. Sanchez disp. 60. n. 2. & Laiman. n. 2.* excommunicati vitandi, *arg. can. Qui merito 29. & can. Nihil 34. & c. 11. q. 3. c. Significavit 16. & c. Nuper 29. & c. de Sent. excom. parentes respectu propria prolis, can. 1. & can. Nôsse 3. & c. 30. q. 1. Abbates & Monachi sive Religiosi utriusque sexus, can. Pervenit 20. V. Ni ergo 18. q. 2. can. Non licet 103. can. Monachi 104. dist. 4. cit.* ne spiritualis cognationis prætextu nimiam familiaritatem contrahant cum secularibus, præsertim feminis: nisi Religiosus ad dignitatem Episcopalem esset effectus, *Glossa in can. 1. V. Absolvit, 18. q. 1. cit. Sanchez n. 2. & Laiman. n. 3.* Casu tamen, quò istorum aliquis insuper habità Ecclesiæ prohibitione, patrini munus obiret, spirituales ab eo cognationem contrahi nemo, quod sciam, inficiatur, *arg. can. 1. can. Nôsse cit. & c.*

Dubium oritur primò, an cognitio ista etià ab infidelibus & cum istis contrahatur. Ratio dubitandi est; quòd eam cum & ab Hæreticis contrahi, nemo facillè inficietur. Cur non etiam à cæteris infidelibus, puta Paganis & Judæis? Et, si non ab istis, saltem contrahi posse videatur cum ipsis à Fidelibus, eorum infantes baptizantibus aut ex sacro fonte levantibus, *arg. c. 1. de Convers. Infidelium*: quò locò impedimentum Criticis cum infidelibus contraxerunt mulieres

lieres Christianæ: etsi illi lege Ecclesiastica, hoc impedimentum constituyente, non tenerentur. Ita certè cum Glossa in can. 1. V. Lavacro, 30. q. 1. sentit Angelus V. Matrimonium 3. Imped. 2. n. 10. &, saltem quoad posteriorem partem Henriquez Lib. 12. cap. 11. n. 3.

14. Sed veridus, neque ab infideli, neque cum ipso cognationem spiritualem contrahi, defendunt Alex. de Nevo in c. Contractio §. n. 12. & 13. Henric. de Boich. in c. Veniens 6. n. 6. Bellamera in c. 1. cit. n. 2. & alii VV. quos cit. Sanchez disp. 60. n. 7. & 14. Pontius Lib. 7. de Matr. cap. 40. n. 2. & cæteri RR. passim sequuntur. Ratione reddunt prioris; quod, sicut nondum natus secundum carnem Naturalis, ita nunquam natus secundum spiritum Spiritualis cognationis non sit capax. Posterioris verò; quod, sicut cognatio Naturalis & Legalis, sic etiam Spiritualis reciproca sit: &, hoc ipso; quod quis earum aliquam alteri, etiam iste ipsi eadem cognatione conjunctus debeat esse; ac proinde, sicut Paganus vel Judæus Christiano, sic vicissim iste illis spiritualiter cognatus nequeat esse.

15. Rationis in contrarium deductæ vis non magna est; quia imprimis Hæreticus hoc ipso; quod per Baptismum spiritualiter natus & Ecclesiam ingressus sit, istius legibus afficitur & contrahit cognationem spiritualem, iis introductam, præsertim cum istius inhabilis redditus non reperiatur. Deinde; quia, ut dictum, omnis cognatio ex sua natura mutua & reciproca est; ac proinde ea, quæ à Pagano & Judæo, etiam à Christiano respectu ipsorum contrahi non potest. Neque locus est c. 1. cit. quia pœnali istius impedimentò afficitur sola mulier Christiana: non etiam infidelis, nisi merè indirectè; cum, si infidelis etiam fuisset mulier, id probabiliter neutri obsti-

tisset, ut cum cit. Pontio cap. 95. n. 6. advertit Barbosa in c. cit. n. 3.

Dubium secundo est, an cognatio 16. spiritualis oriatur ex Baptismo ob materiæ, formæ, vel intentionis defectum invalido. Quod apud cit. Sanchez n. 5. Doctores passim & meritò negant; quia Jura spirituales cognationem statuentia eam oriri ajunt ex Baptismo, quò carnaliter genitus spiritualiter regeneratur: ubi autem Baptismus ex quocunque defectu substantiali invalide collatus est, spiritualis generatio; ac proinde Paternitas, Comaternitas, Filiatio spiritualis non datur; cum, quod nullum est, nullum producat effectum, c. Illud 8. de jure patron. §. 1. Si se non obtulit 4. §. 6. ff. de Re jud. & Non præset impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, Regula est 52. in 6. Confirmatur; quia spiritualis cognatio Baptismi & Confirmationis Sacramentis accessoria est: accessorium autem sequitur naturam sui principalis, & non inducitur, isto deficiente, Reg. Accessorium 42. in 6. Unde

17. Infertur temerariâ & sacrilegâ iteratione Sacramentorum illorum non contrahi spiritualem cognationem inter baptizantem vel confirmantem & baptizatum vel confirmatum, aut inter horumque paternos, matrimonium contrahendum dirimentem; quod hujusmodi Sacramentorum iterata administratio & susceptio invalida sit, can. 47. Apostol. Concil. Florent. in Decreto Eugeni §. Quintò, & Trident. Sess. 7. can. 9. de Sacram. can. 11. de Baptismo. Neque etiam casu, quò post Baptismum, in necessitate privatim & sine ullo aut vero patrino collatum, ceremoniæ in Ecclesia supplementur, vel ipse Baptismus iteratur sub conditione, si prius collatum fuisse validum, postea constet, Sotus in 4. dist. 42. q. 1. art. 2. cit. Sanchez n. 6. &

D d

Perez

Perez *f. 3. n. 8.*

18. Dubium & celebris controversia tertio est, an dictæ cognationis impedimentum contrahatur à laico baptizante privatum & in necessitate. Ratio dubitandi minimè levis est; quòd non contrahatur à parentibus, eò casu proprios liberos baptizantibus; cum propterea debiti exigendi Jure non preventur, *can. Ad limina, 30. q. 1.* Sed omnino tenendum est, eam induci Baptismo etiam privato, & contrahi ab ejusmodi laico baptizante, cum; quia Jura inter Solemnem & Privatam, à presbytero vel alio collatum Baptismum non distinguunt: tum verò; quia, sicut solemniter, sic etiam privatim & in necessitate baptizatus verè spiritualiter generatur; ac proinde spiritualiter fit cognatus baptizantis, ut cum Panormit. *in c. fin. n. 8.* Bellamera *cit. n. 2.* Brunello *de Sponsal. conclus. 20. n. 20.* Navarro *Manual. cap. 16. n. 34.* & aliis TT. & ICT. is docent Coyarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 5. n. 4. cit.* Sanchez *disp. 62. n. 19.* Perez *disp. 29. de Matr. f. 3. n. 2. & cit.* Pontius *cap. 41. n. 5.*

19. Neque obstat *can. Ad limina cit.* quia continet casum specialem: quòd cognationem, debiti petitioni obstantem, induci Ecclesia noluit; quòd æquum non sit à conjuge, propriam utriusque vel etiam alterius tantum conjugis prolem in necessitate, & propterea sine omni culpa, imò ex obligatione; ne infans æterna felicitate excidat, baptizante, damnus & privationem juris exigendi debitum conjugale incurri, ut cum Navarro *cap. cit. n. 40.* & aliis *can. cit.* explicant *cit.* Sanchez *Lib. 9. disp. 26. n. 2.* & Barbosa *in can. cit. n. 7. & 9.*

Casu tamen, quòd pater propriam prolem, ex fornicatione susceptam, etiam in necessitate baptizaret aut suscipere

ret ex Baptismo, spirituales cognationem matrimonium, inter ipsum & proli matrem celebrandum, dirimentem contraheret, *cit.* Sanchez *n. 2.* & Barbosa *n. 6.*

Dubium quartò est, an ejusdem cognationis impedimentum contrahat privatim baptizatum ex baptismo suscipiens; id enim cum Soto *q. 1. cit. art. 1.* generatim negant *cit.* Sanchez *disp. 64. n. 14.* Hurtadus *disp. 18. & cit.* Perez *à n. 7.* Rationem reddunt; quòd levatio & susceptio baptizati in Ecclesia instituta sit ut ceremonia baptismi solennis; atque idcirco in privato non necessario adhibeatur, & adhibita non habeat rationem ceremoniæ, ut ab Ecclesia est instituta: & qui baptizatum levat, non sit verus & propriè dictus susceptor.

Sed meliori ratione hanc dubitationem alii expediunt auxiliò distinctionis; vel enim, inquirunt, in privato baptismo infans solum materialiter, vel formaliter tenetur? Si, ut urgente necessitate plerumque solet, materialiter duntaxat & præcisè ad majorem commoditatem baptizantis & absque animo patrini munus obeundi & subeundi ejus obligationem: spiritualis cognatio non contrahitur ex communi omnium doctrina. Si formaliter & spiritualiter, hoc est, animò & intentione patrini munus, pro ut ab Ecclesia institutum est, exercendi ejusque obligationem subeundi, ab eo, qui infantem ita tenet, ex Baptismo suscipit, levátque, spirituales cognatione & ex ista proveniens impedimentum nuptiale contrahi, cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 4.* probabilius sustinent Coninck *disp. 32. n. 39.* Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 40. n. 5.* Laiman. *Lib. 1. tract. 2. cap. 5. n. 9.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 39.* quòd ex una, hujusmodi patrini infantem verè teneat, suscipiatque & pro



& pro ipso fidejussor ac sponfor in privato baptismo non minus sit, quam in solenni: ex altera verò parte, Jura, sicut à baptizante, sic à tenente ac suscipiente spirituales cognationem contrahi, asserant generaliter, nullòque discrimine factò inter baptismum privatum ac solennem, *c. Si vir 2. c. Veniens 6. hanc Rubr. s. 1. in 6. & Trident. Sess. 24. cap. 2. de Reformat. Matrim.*

Neque contrarium persuadet ratio dubitandi; quia patrini in baptismo non præcisè ut ceremonia ad solennitatem, sed ut fidejussores ac sponfores, licet in privato non necessarìò, interveniunt: & cognationem spirituales inducit non tam solennitas, quam ipsa susceptio ex Baptismo, sponsioque & fidejussio, atque ex his orta obligatio ex sacro fonte susceptum in doctrina fidei Christianæ bonisque moribus instruendi: quæ patrini saltem juxta dicta in defectum aliorum tenentur.

22. Dubium quintò & DD. in utramque partem magnò studiò agitata controversia est, an debiti conjugalis exigendi jure hodie privetur vir, prolem ex legitima uxore susceptam scienter baptizans aut ex Baptismo levans extra casum necessitatis; eum enim ratione Compaternitatis, ex ejusmodi actu ortæ, debiti illius exigendi jure privatum, in *c. Si vir cit.* notant Hostiens. *n. 3. Panormit. n. 5. Alex. de Nevo n. 8. Gaëta in can. Ad limina cit. 5. 4. n. 349. & Interpp. SS. DD. Angelicus in 4. dist. 42. q. 5. art. 1. Seraphicus q. 2. art. 1. n. 8. Sylvester V. Matrimonium 8. q. 7. Navarrus Manual. cap. 22. n. 40. cit. Sanchez Lib. 9. disp. 26. n. 7. & apud hunc alii magnò numerò relati, ductique Jure & Ratione.*

23. Et ex Jure quidem allegant imprimis *can. 1. Scen. Si quis filiasram, 30. q. 1.* quò canone utroque conjuges, proprios

suos aut eorum unus alterius filium ex Baptismo levantes, vel tenentes in Confirmatione, separari, sive à conjugalis thori usu removeri jubentur indiscriminatim. Deinde *can. Nässe 3. Scen. Ad limina 7. q. cit.* quorum locorum priori separantur, sive communis thori usus interdicatur iis, quorum alter filium ex sacro fonte levavit cum alterius consensu: posteriori, qui filium baptizavit, à conjugate non separatur ex ratione; quòd bonà fide id fecisse dicatur. Unde argumentò ductò à contrario separandù infertur, si id fecit culpabiliter & extra casum necessitatis. Demum *c. Si vir cit.* quòd textu conjux, qui propriam prolem, ullà necessitate non postulante, scienter ex sacro fonte suscepit, conjugi debitum reddere jubetur; quòd ei fraus sua non debeat patrocinari vel dolus: quæ ratio, cum quoad debiti exactionem cesset, ex ea hanc illi arguunt interdictam.

Rationem reddunt partim; quòd hujusmodi actu conjuges cognationem spirituales contrahant, quantum Jure contrahi potest: & exactio debiti tali conjugi ullo Juris textu non adstruatur: partim verò; quòd impedimentum dirimens, quando supervenit matrimonio jam contracto, debiti exigendi jure generatim privet eum, cujus actio est inductum, ut patet in affinitate, orta ex commercio carnali cum consanguinea conjugis, *c. 1. c. Transmissa 4. de Eo, qui cognovit Sc. & voto solenni, edito per sacri Ordinis susceptionem vel à sede Apostolica approbatæ Religionis professionem, arg. c. Quidam 3. c. Placet 12. de Convers. conjug. Glossa in Extravag. Antiqua, Joan. XXII. de Voto, V. Consummare.*

24. Sic roboratæ huic Opinioni non nihil nec nimium tribuendum: & statuentium discrimen est inter Ecclesiæ Jus privatum ac

seum ac modernum.

Et illò quidem sive antiquò Jure spectatò, omnino exploratum est, conjugalis debiti exactionem hujusmodi viro inrerdictam, *can. Si quis & can. Si quis nòsse cit.* Imò ea inhibita etiam fuit ei, qui suam prolem ex sacro fonte suscepit, aut in Confirmatione tenuit igno-  
ranter, *can. 1. cit.*

25.

Itò autem sive recentiori ac modernò Jure ab ejusmodi conjugè debitum, sicut reddi, sic & exigi posse, cum Glos-  
sa in *c. Si vir cit. V. Debitum*, Anchorano *ibid. in fine*, Archidiacono in *can. Nòsse cit. V. In prima*, & Durando in *4. dist. 42. q. 1. art. 3. n. 11*, verisimiliùs defendunt Suarez in *3. p. disp. 67. art. 8.* Coninck *disp. 34. dub. 8. à 66.* & Perez *disp. cit. s. 6. n. 9.* qui suam hanc sententiam desumunt ex *can. De eo s. q. cit.* cujus tenor est, *Si conjuges legitimi unus vel ambo ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, si innupti permanere voluerint, bonum est: sine autem: gravia penitentia insidiatori injungatur & simul maneant; & præcipuè ex *c. Si vir cit.* ubi Alexander III. Archiepiscopo Salernitano, de viro vel muliere scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte suscipientibus consulenti, rescribens, *Non sunt, inquit, separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci; quia, si ex ignorantia id factum, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eù sua fraus non debet patrocinari vel dolus; ex quo textu utroque, sicut ut continenter vivant, Ecclesiæ votum esse: sic debiti exactionem utrique permissam, perspicuum imprimis est; quia verbis, *Nec alter alteri debet debitum subtrahere*, quoad conjugii usum æqualis potestas adstruitur utrique, tam nocenti quam innocenti. Deinde; quia**

prolem ex industria & sine ista, scienter & ignoranter ex sacro fonte suscipientes æquiparantur quoad permissionem actuum conjugalium; neque ut *c. fin. de eo qui cognovit &c.* inter redditionem & exactionem distinguitur. Et demum; quia *can. De eo cit.* simul manere & conjugii utri etiam permittuntur, *Si ambo ex industria fecerint*; quò casu, si debitum exigere neuter posset, neuter id reddere posset vel teneretur; quò impedimentum voluntariè contrahendò exigendi jure mutuo cesserint, eòve à Canone sint privati; ac proinde nequaquam cum peccandi periculo simul manere permittendi, sed separandi ab Ecclesia fuissent.

Ratio autem conjugii usum utrique permittendi justissima fuit manifestum & evidens incontinentiæ animæque periculum, in quo versaretur, qui in eodem lecto cum conjugè dormire sine debiti exigendi jure cogeretur: ut propterea, jure hoc privatum conjugem, alienendum non sit sine aperto Juris textu, qualis in propositæ dubitationis articulo plene desideratur; ut ad eò Sanchez *n. 7. cit. priscorum canonum rigorem temperatum, ab eòque c. Si vir cit.* recessum, agnoscens, Doctorum duntaxat auctoritate se niti, fateatur.

Neque obstant *c. cit.* verba, *Ei fraus sua non debet patrocinari vel dolus*; quia ista non debiti exigendi jus, sed ejus solummodo reddendi obligationem spectant & afficiunt eos, qui conjugibus, quos aversabantur, debitum aliquando negabant prætextu cognationis spiritualis: quam illos fraudandi animò, liberò levandò in Baptismo vel in Confirmatione tenendò, malitiosè contraxerunt, ut habetur *can. Dictum 4. q. 1. cit.*

Non magis urget ratio, quia, esto spiritualis cognatio, quantum Jure potest, contrahatur: effectum tamen seu vim de-

vim debiti conjugalis exactione privandi hodie non habet; quòd post veteres canones quoad separationem à thoro correctos, privatio illa, ut rei gravitas posceret, ullò Jure non exprimitur, neque ex eo clarè inferatur; sicut de affinitate expressum est *c. 1. & c. Transmisit* *citt.* & de Voto solenni *ex c. Quidam & c. Placet* *citt.* infertur.

28. Dubium sextò & non minùs celebris controversia est, à quo spiritualis cognatio contrahatur casu, quò, ut Reges ac Principes hodie solent, infans ex sacro fonte levatur per Procuratorem aut Legatum. Illam ab isto, non eum constituente, contrahi cum Archidiacono *in c. 1. in 6. n. 1.* Franco in ejusdem textùs *pr. n. 6.* Brunello *cit. conclus. 20. n. 21.* Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 7.* & aliis Interpp. ac DD. multis volunt Covarruvias *cit. cap. 6. §. 4. n. 6.* & Sanchez *Lib. 7. disp. 59. n. 4.*

Moventur primò variis textibus, quibus ea, de qua agimus, cognatio contrahi, dicitur à *suscipiente, tenente, sustinente, levante, tangente* baptizatum aut confirmatum, *can. Nösse, can. Diktum, can. De eo, can. Ad limina Sc. q. 1. cit. c. Si vir 2. c. Martinus 4. c. Veniens 6. c. sim. hic* & Trident. *cit. cap. 2.* quæ verba denotant actionem personalem: & de solo Procuratore, non de Principe, eum constituente, verificantur. Secundò; quòd cognatio spiritualis æquiparetur Naturali, *c. Debitum 4. de Baptismo:* & Legalem imitetur, *can. Ita diligere* *cit. & can. Post susceptum 30. q. 3.* non nisi ex actione personali ipsius generantis aut adoptantis exurgente: ut de illa per se, de illa ex *l. Post uxorem 25. §. 1. ff. de Adopt.* constat. Tertio; quòd, si Parochus alteri committat munus baptizandi, cognatio spiritualis ex Baptismo ab isto, seu à commissario, non à Parocho contrahatur. Cur non

etiam à Procuratore, Patrini munus Principis mandatò suscipiente. Ita isti

Sed meliùs, tali casu verum Patrini esse hunc, sive Principem mandantem; ac proinde ab eo, non à Procuratore vel Legato cognationem spiritualem contrahi, cum Panormit. *in c. Veniens* *cit. n. 4.* Alexand. de Nevo *ibid. n. 7.* Gaëta *in can. Ad limina* *cit. §. 4. n. 184. & 390.* Alexand. Carerio *Lib. 2. de Sponsal. cap. 8.* Navarro *Lib. 5. Consil. 90. in fine* & aliis antiquioribus defendunt *citt.* Pontius *cap. 39. n. 10.* Perez *f. 7. n. 2.* Barbosa *Alleg. 30. n. 50.* Franc. Leo *Theaur. Fori Eccles. p. 2. cap. 9. n. 63.* S. Congreg. Cardinal. Trident. Interpp. & Rotæ etiam Romanæ, pro se stantium, auctoritatem allegantes.

Ratio unica, sed solida est; quia Patrini munus per alium exerceri Ecclesiastica Jura non prohibent: & permittit Consuetudo, quæ à Regibus & Magnatibus, sicut iniri conjugia, sic etiam Patrini munus per Legatos & Procuratores obiri, nemo est, qui ignoret. Unde in iis locum habet Regula *Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum,* quæ est *72. in 6.* & propterea, sicut conjugium per alium contrahens, conjux: sic infantem ex Baptismo suscipiens per alium, Patrini, & spiritualis cognatus evadit non minùs, quàm si id faceret per se ipsum. Confirmatur; quia aliàs tali casu verus Patrini & spiritualis cognatus neuter evaderet; ac proinde Baptismus, contra Ecclesiæ præceptum & nullâ necessitate exigente, conferretur sine Patrino; cum talis non esset principalis constituens, ut volunt, qui Opinionem nobis contrariam propugnant: neque etiam Procurator vel Legatus; quia iste non suo nomine, sed alienò suscipiens & spondens, Patrini munus obire non intendit.

Argumenta in contrarium allata ca. 30.

D d 3

rent diffi.

rent difficultate. Primum; quia per Procuratorem suscipiens, tenens &c. moraliter suscipere, tenere &c. ipse censetur: sicut matrimonium contrahere, jurare per alium, suo nomine id ineuntem, vel præstantem juramentum, *arg. Reg. cit.*

Secundum; quia cognatio Spiritualis Naturali *c. Debitum cit.* solum comparatur quoad distinctionem personarum necessariam ad utramque: Legali autem *can. Ita diligere &c. cit.* quoad vim conjugii dirimendi: non etiam quoad omnem modum, quò contrahuntur. Et, eum Legali, quò minus per Procuratorem contrahatur, specialiter obtinent Jura, adoptarii alique per alium non permittentia, *l. Post mortem 25. §. 1. ff. & l. fin. C. de Adoption.* contra ista, Patrini munus per alium obiri, non prohibeant, & permittat Ecclesiæ consuetudo: ab eo, qui munus hoc in Baptismo per alium obit, spiritualis cognatio & huic annexum nuptiale impedimentum omnino contrahetur.

31. Postremum; quia alia ratio est baptizantis & alia suscipientis; qui enim ex Parochi commissione baptizat, infantem non committentis, sed perinde ut ipse Parochus, proprio nomine, & ut minister Christi, baptizat: contra Procurator, è Baptismo infantem levans non suo, sed alieno, principalis mandantis nomine, levat, ut observat, *Perez cit. f. 7. n. 4.*

## ARTICULUS II.

### De eadem Cognatione, orta ex Catechismo.

#### SUMMARIUM.

32. *Ista professione Fidei nomine baptizati,*  
33. *Duobus casibus contrahitur,*

34. *Et matrimonium impeditur ante Tridentinum:*

35. *A quo ejus impedimentum aliqui intantum:*

36. *Alij sublatum volunt,*

37. *Cardinales declararunt, & probas Consuetudo,*

**C**atechismi nomine hoc locò venit instructio seu professio Fidei, quæ ante januam Ecclesiæ super baptizando, vel istius nomine fieri olim, hodièque consuevit, *can. Ante Baptismum 52. dist. 4. de Consecrat.* cujus impedimentum contrahit, qui pro baptizando, quem à sacro fonte non levat, five nomine istius, Sacerdoti, *An Sathana renuntiet, an credat &c.* interroganti respondet. Quem primis Ecclesiæ seculis à susceptore seu patris Baptismi diversum fuisse, testis est Hyginus Papa re-latus *can. In Catechismo 98. dist. cit.* ubi *In Catechismo, inquit, & in Baptismo, & in Confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogat. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singula singuli suscipiant.*

Idem Nuptiarum impedimentum secundum multos DD. contrahit, qui, ut hodie non rarò, id facit, cum post Baptismum infanti in necessitate domi collatum, ceremonia in Ecclesia suppletur, *Laiman Lib. 5. Traç. 10. p. 4. cap. 15. n. 1. & Perez de Matr. disp. 23. f. 3. n. 1.*

Est autem impedimentum Catechismi Cognatio quædam Spiritualis imperfecta: quæ conjugium, non quidem invalidum, sed illicitum facit, *c. Contractio 5. hæc Rubr. & c. Per Catechismum 2. in 6. S. Thomã in 4. dist. 42. q. 1. art. 2.* cum enim Catechismus sit initium Baptismi, & quædam regeneratio imperfecta per fidem, quam pro infante baptizando patrinus proficitur, fere sicut sponsalia sunt initium

initium matrimonii: quemadmodum ex his oritur quædam propinquitatis imperfecta, quæ publica Honestas nuncupatur, & matrimonium dirimit, sic ex Catechismo oritur imperfecta quædam propinquitatis spiritualis, saltem impediens illud contrahendum. De quo Impedimento

35. Dubium & controversia est, an à S. Synodo Tridentina *Seff. 24. cap. 2. de Ref. Matrim.* fuerit sublatum. Id enim hoc decreto, sicut cognationem spiritualem perfectam, quæ ex Baptismo oritur, ad primum duntaxat gradum, restrictum, cum Cuccho *Lib. 5. Instit. major. tit. 12. n. 19.* & aliis voluit Toletus *Summa Lib. 7. cap. 14. in fine, Palacios in 4. dist. 42. q. unica, Rebellus Lib. 3. de Oblig. Justit. q. 28. n. 21.* & Perez *cit. f. 3. n. 4.* Ratio, quæ moventur, ferè unica, sed minimè levis est; quod *cit. cap. 2.* decretum antiqui Juris sit correctorium; ac proinde non patiatur extensionem ad impedimentum, cujus nullam facit mentionem *arg. c. Cum expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. in fin. C. de Appellat.* Catechismi autem, ex eoque orti cognationis spiritualis imperfectæ impedimenti, nullam faciat mentionem; cum hoc solummodo impediens sit: decreto autem illo expressè solummodo restringatur impedimentum dirimens cognationis spiritualis, ortæ ex Baptismo, ut patet ex præfatione, agente de matrimoniis, contra Ecclesiæ prohibitionem ignoranter contractis, in quibus, vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dissolvuntur: cujusmodi non est matrimonium in initum cum impedimento Catechismi; cum in eo, hòc ipsò, quod validum sit, sine peccato, & diremptionis seu recessus obligatione vel Jure perseveretur.

36. Sed istius rationis, quamcunque speciem præferat, ea vis non est; ut matri-

monii impediendi virtutem Catechismo, five ex isto ortæ cognationi spirituali *cap. 2. cit.* decretò intactam & relictam evincat; cum eò ex Baptismo ortum cognationis spiritualis impedimentum stabilitum tantum sit inter baptizantem & ex sacro fonte levantem ex una, & baptizati patrem ac matrem ex altera parte, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis: quibus verbis, cognationem generaliter complectentibus, eamque in personis tantum expressis, cum diserta exclusione aliarum, stabilientibus, etiam ex Catechismo ortæ cognationis spiritualis impedimentum sublatum, præter alios præcipui nominis DD. defendunt, qui matrimonium accuratissimis & uberissimis Tractatibus illustrarunt Guttierrez *cap. 84. n. 6.* Sanchez *cit. disp. 10. n. 10.* Pontius *Lib. 6. cap. 11. n. 3.* Parochos idcirco monentes, ut in libro, quò paternos describunt, expriment, an in ipso Baptismo, vel in Catechismo tantum inter venerint; quòd aliàs, an matrimoniale impedimentum contraxerint, non constet.

Neque aliud persuadet ex correctorii Juris natura desumptum argumentum, cum; quia antiquioribus Ecclesiæ sanctionibus, quoad Catechismi impedimentum, satis clarè derogatum est Conciliari illo decreto, cognationis spiritualis impedimentum inter certas duntaxat personas, cum aliarum universali exclusione, firmante: tum verò; quia huic *cap. 2. cit.* sensui favet *Motus proprius Pii V. & Cardd. Trident. Interpp. declaratio apud DD. cit.* & ipsa ambigui Juris optima interpretis Consuetudo, quæ Catechismi impedimentum penitus abolitum, testis ex adversariis est Perez *S. cit. n. 6.*

☉ (O) ☉

TITU.